

percutit, aut alia injuria affecit, etsi agnoscat contra legem & malè se fecisse, idque quod admisit, ipsi displiceat, ita ut detestetur illud & doleat de eo serio, hisce omnibus offensionem istam non tollit, sed necesse est, ut satisfactione interposita eam aboleat: ita nec sufficit retractare ad istum modum peccata, sed satisfactio pro peccatis requiritur ad abolendam Dei offensam. Nemo vero satisfacere potest Deo, offenso peccatis hominum, docente scriptura quam Jesus Christus Dei Filius, quem *propitiationem pro peccatis nostris dicit Johannes I. Ep. II. 2.* & de quo *Paulus I. Timoth. II. 5. 6.* *Unus Deus est, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui sese ipse dedit ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων Redemptionis pretium pro omnibus Conf. Act. IV. 12.* qui & *Rom. III. 24.* docet: *Redemptionem factam esse in Christo Jesu.* Unde etiam Jesum Christum ex immensa sua misericordia Deus ea de causa misit in mundum, ut satisfaceret pro peccatis hominum Deo offenso, & genus humanum redimeret: ut *Paulus testatur Rom. V. 8. seq.* *Commendat, inquit, suam erga nos Charitatem Deus, eo quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est: & Ephes. II, 4.* *Deus qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, cum per peccata mortui essemus una vivificavit cum Christo, cujus gratia estis servati &c.* Quod si ergo per Conversionem satisfacere homines Deo peccatis offenso voluerint, necesse est, ut id faciant per Christum. Hoc autem aliter fieri nequit, quam meritum & satisfactionem Christi Deo Patri tanquam ἀντίλυτρον pro peccatis sistendo, ut supra *Paulus docebat, qui & alibi similia habet, nempe Rom. III. 25.* *justificamur, inquit, gratis, illius gratia per redemptionem, factam in Christo Jesu; quem Deus proposuit ἱλαστικόν placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Quanquam enim Christi satisfactio sufficientissima sit, ut possit pro omnium hominum

B

pec-